

ANN. XVII - FASC. XII


MENSE DECEMBRI MCMXXX

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE," Sociis

prodidit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editio
tione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris
Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea
facile agendis:

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
premium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt premium constituimus libellorum 375 pro Italia; premium duplicatum, libell. Italic. scilicet 750, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim premium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVII

Romae, Mense Decembri MCMXXX

Fasc. XII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis ann. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa Italicas lib. 30 exaequans; ante solendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

cives velint — (et o quantum nobis gratum acceptumque fuerit)! — duplicatum hi mittant suaे cuiusque subnotationis premium.

Omnis denique, qui nondum de transacto tempore rationes suas cum Administratore nostro exaequaverint, festinare ne remorenentur; statuimus enim commentarii transmissionem cum hoc mense Sociis nimis in solvendo lentis interrumperem.

ALMA ROMA.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De nominibus substantivis eleganter usurpandis.

«Aliud est latine, ut ait Quintilianus, aliud grammaticē loqui» (*Inst. Orat.*, I, VI, 27). — Ad hoc autem ut latine loquamur, oportet, de nominibus substantivis, probe sciamus non solum quomodo sint eleganter omittenda, addenda aut convertenda, sed etiam quomodo eleganter usur-

¹ Cfr. fasc. sup.

panda. Quod a nobis sat diligenter exquisitum putabimus, si tria explanaverimus, scilicet:

1º quo numero quaedam substantiva eleganter efferantur;

2º quo casu quaedam substantiva eleganter efferantur;

3º quo sensu quaedam substantiva eleganter usurpentur.

§ 1. - *Quo numero quaedam substantiva eleganter efferantur.*

I. - Plurali numero saepe efferuntur substantiva concreta, quae ad plures personas aut res referuntur, et reapse pluralia sunt; ¹ v. g.:

Iuvenes corpora oleo perunxerunt (Cic.).

Naves, quae ad *ancoras* erant deligatae (Caes., *De Bel. gal.*, IV, 29).

Caesar *hostes* invitat ad dimicandum (Caes.).

Quidam *ignes*, quos aggeribus iniicerent, afferebant (Liv.).

II. - Item umerus pluralis usurpat in substantivis abstractis, quum eadem res, proprietas vel actio quae exprimitur, 1º ad diversas personas aut res refertur; v. g.:

Catalina maxime adolescentium *familiaritates* appetebat (Sall.).

¹ a) Hinc saepe usurpat numerus pluralis ubi apud vernaculam linguam singulari utimur; v. g. Hannibal visus est in *somnis* a Iove in consilium vocari (Cic.).

b) Latini ipsi numero singulari interdum utuntur, quando videlicet non singulas res aut personas singillatim, sed omnes generatim et quasi unum quid considerant. Nomen substantivum tunc non individuum, sed speciem exprimit; v. g.: *Naves* deligatas ad *ancoram* relinquebat (Caes., *De Bel. gal.*, IX, 1). — *Auram* simul exhalarunt (Ovid., *Metam.*, 6). Calcei habiles et apti ad *pedem* (Cic., *De Orat.*, I, 54).

c) Imprimis usitate loquendum, quoniam usus fons est norma loquendi. Sint exempla. Dicunt quidem: « Iter ingredi *pedibus* (Cic., *Sen.*, 10, 34). — *Aures* offendere (Cic., *Or.*, 44, 150). — Potest autem dici vel: « *Dies noctesque* » (Liv., XXIV, 18, 1) vel: « *Diem noctemque* » (Caes., *De Bel. gal.*, VII, 42, 6).»

Non *velocitatibus* corporum res magna geruntur (Cic.).

Imperia legum potentiora sunt quam hominum (Liv.).

2º ad eamdem personam aut rem, sed diversis temporibus; v. g.:

Graves et periculosa *valetudines* expertus est (Suet., *Aug.*, 81).

Solis annuos *cursus* spatiis menstruis luna consequitur (Cic.).

Superiores solis *defectiones* reputatae sunt (Cic., *De Rep.*, I, 16).

et saepe 3º quum reapse de pluribus eiusdem rei individuis sermo est; ¹ v. g.:

Quatuor *perturbationes* sunt, tres *constantiae* (Cic.).

Uti somno et *quietibus* ceteris (Cic.).

Praesentiae deorum (Cic., *De Nat. deor.*, II, 62, 166).

Adventus imperatorum nostrorum in urbes sociorum (Cic.).

Corque meum penitus turgescit tristibus *iris* (Cic., *Tusc.*, III, 9).

III. - Praeterea numero plurali efferruntur:

1º nomina propria, quibus non personae ipsae, sed earum proprietates indicantur. Quam grammatici *autonomasiam metaphoricam* vocant; v. g.:

Cicerones rari sunt.

¹ a) Tunc, pro plurali, Cicero singularem quoque usurpat cum « *omnis* » vel « *totus* »; v. g.:

In *omni iniustitia*, plurimum interest, utrum... *Totius iniustiae* nulla capitalior est, quam...

b) Quando res abstracta abstracte in se consideratur, non concrete, scilicet relate ad plura individua, Latini numerum singularem usurpat; v. g.: *Quis vos agitat furor?* (Sen.). — *Cameli odium* gerunt adversus equos naturale (Plin.).

NB. - Quum verbo *geminus* dativus apponitur, dativus rei abstracte semper consideratur et idcirco singulari effertur; v. g.: *Est omnibus odio crudelitas, amori probitas et clementia* (Cic.) *Exitio* est avidis mare nautis (Hor.).

Cicero tamen dixit: « *Magnis matis* est homini avaritia ».

An censemus, si Fabio laudi esset quod pingeret, non multos etiam apud nos futuros *Polyclotos* et *Parrhasios* fuisse? (Cic.).

2º fere nomen aut cognomen, quod sequitur duo praenomina et duas personas designat; v. g.:

Cn. et P. *Scipiones* (Cic., *Pro Balb.*, 15).

C. et L. *Memmii* (Cic.).

C. et L. *Caepasii* (Cic.).¹

IV. - Singularis numerus non raro collectionem designat. Quod fit:

1º saepe in nominibus militum et populorum, quum agitur de re militari aut politica, ut aiunt;² v. g.:

Romanus ira odioque pugnabat (Liv., III, 2, 11).

Nec Tarentini modo, sed *Lucanus* et *Bruttius* et *Sannis* a nobis defecerunt (Liv., IV, 31, 7).

2º in nominibus frugum, olerum, arborum, pecorum et, in universum, rerum inanimatarum, quum designantur non individua, sed species, ad quas haec pertinent; v. g.:

Pensilis uva secundas et *nux* ornabat mensas (Her.).

Faba Pythagorei abstinere iubent (Cic., *Tusc.*, II, 58, 119).

Materia cuiusque generis est, praeter *ragum* et *abietem* (Caes., *De Bel. gal.*).

Villa abundat *porco, haedo, agno, galina* (Cic., *Sen.*, 16, 56).

De muro *vestem* iactabant (Caes., *De Bel. gal.*, VII, 47, 5).

S. Leonardi in Helvetia.

J. Iss.

¹ Sallustius tamen dixit: « Tib. et C. *Gracchus* (Iug., 42, 1).

² Historici potiusquam ceteri scriptores soluta oratione dicunt: « *Miles, pedes, eques, hostis...* etc... »; pro « *Milites, pedites, hostes...* etc... »; v. g.: Exercendo quotidie *militie* *hostem* opporiebatur (Liv., XXXIII, 8, 5). — *Eques* usque ad castra pavidos egit (Liv., II, 25, 4).

EXPRESSI IN HUMANO SERMONE
MORES ANIMALIUM

In communem et quotidianum usum sermonis multa irrepserunt, quae prolata semel, etsi minus recte, vulgus amavit, et ubique passim in eloquio nostro versantur. Nam nemo inquirit, et ab aliis tradita enunciatur, quae sublata optaremus, si minus inspicerentur.

Qua in re principem obtinent locum adiuncta quaedam, quae nonnullis animalibus damus, virtutes tribuentes *municipientissimi* bellis et bestiis, a quibus certe irrideremur, si nostra intelligerent.

Nonne cachinnum leones tollerent, audientes illud Ovidii:

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni;
Pugna suum finem, dum iacet hostis, habet?

Dic leonem praestantem viribus, dic impetu, dente et ungue terribilem; *magnanimum* ne dicas.

Qui autem pecora et iumenta mortifex insequitur et assequitur, nec cervis, nec lepori, nec similiis inermibus parcit, hic ne magnanimus? Qui tot puellas, tot pueros in genua provolutos, orantes ad martyrium constitutos in amphitheatris, nedum prostravit, sed diserpens laniavit, hic ne magnanimus?

Fabula de leonis venatione est, asino, capra et ove sociis assumptis; qua demum absoluta, et vasti corporis cervo capto et quadrifariam diviso, primam partem sibi leo tulit quia debitam, alteram quia nomina retur leo, tertiam quia rex animalium esset; si quis autem quartam tangere ausus esset, malo facturum proprio minatus est. Sic socios ieunios dimisit, et ipse potitus omni re est.

Talis est leo, qui neque elephantes, neque hyppopotamus, neque serpentem venum agreditur, quia se hisce non aequum viribus sentit! Hic ne magnanimus?

Nunc ad canem veniamus. De homine, qui medios inter labores atterit vitam, ut uxorem, ut parentes, ut filios alat, vulgatum dictum est: *Vivit ad instar canis; Vitam cane dignam agit.* Vidisti ne, sodes, laborantem toto die canem, instantemque operi, ut alios pasceret? Maxima pars canum (aut ego caecus sum) quatuor diei partes pacatissime dormit; una tantum vigilat!

At haec in bonum cani tributa gratuito, non ea tamen sunt quae calumniam acerbissimam rependant et aequent inustam. Dicimus enim de parricida quovis, de quovis beneficiis non grato, de quovis, qui vel Neronis, vel Sullae, vel Ivani, vel Timour seritatem, atrocitatem aemuletur: *Caninam habet animam! O anima canina!* Non recte, non vere verbum et similitudo invaluerunt. Nam quis homo homini amicus cane praestantior? Qui frustulo panis contentus, et saepe vel isto carens, dominum sequitur, blanditur, tuetur; dominum, liberos custodit, advigilat; et, si quid contra, nec hostes numerat, nec vitam curat; sed unus in decem irruit etsi armatos, et latrat, nec quiescit; immo saepe domini interfectores suo modo iudicavit.

Qui verberatus, percussus, vulneratus a domino non mordet, sed eiulat, et fugit, aut saepe ad pedes domini supinus verbera experitur, eo ipso, si opus sit, compos assurgere, et contra inimicos domini irruere; haec ne anima ferox? Anima haec ne immitis, Neroniana, Sullana? Quoties aliquid atrocis tigride et draconibus dicere optemus, non caninam, sed, opprobrio nostro, animam dicamus humanam. Monstra enim illa et sexcenta non e canum progenie, sed humano genere parta sunt!

Neque minus in equis. Hi quippe fraeno dociles, obedientes dominis, amantissimi interdum, omne habent praeter unum quo similes dementi sint homini, qui contra rectam rationem suis abutatur in voluptuosis, in utilibus, inconstans, varius, sine

moribus et modis. Et de homine huiusmodi tamen plerumque dicimus, praesertim si iuvenis: *Demens ut equus!*

Haec, et pleraque ab animalibus in eloquium nostrum minus iure venerunt; sed et plurima sunt quae iure, quae recte, quae optime animalia dederunt nobis habenda ex usu et moribus suis.

De puella domi satagente et assidue omnia curante dicimus: *Argumentosa ut apis.* Quid pulchrius?

De homine miti, benigno, qui nec irascatur irascentibus, neque nocentibus redat, neque lacessitus noceat misericors, benignus et pius, commune in labiis habetur: *Mansuetus ut agnus.*

Pius ut avis recte, ut columbus praesertim, laudatur parens in filiis alendis, tutandis totus, nec laboribus nec vigiliis parcens. Laborem et curam similitudo graphice describit.

Sues turpissimi foeditate existimantur, insatiabiles cibo, et somno ventrique tantum intenti. Qui similes hisce vivunt, nihil de virtute, de animo, de futuro, de Deo agitantes aptissime pinguntur, quum ipsis illud Horatianum imponatur: *Epicuri de grege porcus.* Laudato pingentem!

An et maledicas feminas (quamvis inter viros et frequens haec labes) oneramus vituperio, quum dicimus in labiis et in linguis habere venenum aspidum insanabile? Num minus quam *vipera* nuncupanda est, quae tot imposuit vulnera quot emisit verba, et quot vulnera tot funera sparsit?

Segnis ut testudo, Pernix ut cervus, Pavidus ut lepus, Patiens ut asellus, Rapax ut aquila, Tumidus ut gallus indicus, vel pavo, Musicus ut philomela et alia innumera pulcherrime data ac retenta sunt, queis non modo ornatur, sed luce ditatur eloquium.

Optime faciemus igitur si, quae veare sequentes, ab aliis abstineamus; nam «dicens recte sapere est et principium et fons».

ctride saturata, involuerum aeneorum staminum, ante hoc ferrea membrana eaque subtilissima, et in extrema tuba metallica collocata, haec illi instrumenta fuere. Construxit duas machinas, alteram ad loquendum aptam, alteram ad audiendum. Coram tuba qui loquitur voce efficit ut membrana vibret; haec, vice sua, certis motibus fluidum per aenea stamina discurrentem interrumpit; qui quidem motus, per filum transmissi, oscillationibus suis ad audientis machinam pari motu membranae vibrationes imprimunt, sonumque in aures gerunt.

Serius, Drawboughius et Donoughius machinae loquentis, ut ita dicam, sensum acuere valuerunt; sed Meuccii nostri machina audiens eadem semper servata est.

Paulo post, dum Huguesius microphonum effingit, quo carboniferis fragmentis loquentem machinam instruit, Meuccius Neo-Eboracum migrat, atque apud Grant, telegraphic Neoeboracensis sodalitii praesidem, iterum iterumque instat, ut suum inventum periti viri examinent, et de eius utilitate sententiam dicant. Sed cunctatus est Grant duos annos; quo tempore ille ad magistratus qui inventorum testimonia publica tradunt (*Patent Office* vocant) documenta et specimina sui operis die XXIII mens. Decembribus MDCCCLXXI tradidit Quinque post annos, Graham Bell, de telephono tamquam a se reperta machina litteras publicas et patentes obtinebat, scholiariorum opera, qui documenta Itali inventoris clam ei prodiderant.

Telephonum profecto is repererat, cuius causa tot sustinuit deinde iniurias et angores, ne fraudolenti ditissimi viri hanc sibi gloriam et lucrum addicerent; cuius vero laboris fructum, pecuniae vi oppressus, tandem ita amisit, ut nisi in patria regis administrari ei subvenissent amice, victu ipso caruisset!

Sed quo facilius intellegamus tenacem propositi virum, iuvat ad conamina illa prima redire.

Re enim inchoata minime contentus, omni opera ut eam perficeret studuit, atque ad electridis virtutem optime adhibendam se convertit. Chalybis virga ele-

rrori pergit, Neo-Eboraci ab urbe parum dissita: nivalis hieme locus, at aestate floridus, quo omnes, ut balneariae curationi inserviant, confluunt. Ibi, Clifton in oppido, una cum nonnullis Italicae patria extorribus candelis sebaceis fabricandis operam dedit, atque ibi inter memorias multas exactae aetatis cum civibus suis, fama pauper pariterque pecunia, nonage-

narius fere vitam consumpsit, dum aemuli inter divitias parvo pretio atque indecoro pacto acquisitas optime vivunt.

Non tamen veritatem fefellerunt, quae tandem splendida eluxit, ad firmandam iterum — parcant lectores scribenti mihi patriae gloriae contumaci — in iis quae electridem spectant quanta sit habenda Italiam gloria.

Volta enim et Galvanus eam invenere, Meuccius et Marconius postremis inventis perfecere ad publicam utilitatem. Italica tropaea, inter novissimam aemulationem de pace et felicitate universorum comparanda, haec sunt maxima, atque maiora forte vel gloria patrum, quae plerumque tanto sanguine parta est. Igitur si Helnopolenses Germanici cives non iniuria ponere monumentum Philippo Reiss constituerunt, optimam causam eos adseruisse nemo negaverit; ne vero affirmaverint, illum telephonicae machinae inventorem auctoremque primum suisse; Antonius enim Meuccius decimo iam ab anno id assequutus fuerat; quod nisi aemulorum fraus abstulisset, gloriam non peritaram et nomini Italico novum splendorem, iure plane defensus, addidisset.

A. C.

DE EUCHARISTIAE CULTU APUD VETERES CHRISTIANOS¹

Iam alia est eucharistica pictura digna prorsus, de qua peculiaris mentio fiat. Abhinc annos circiter triginta quoddam coemeteriolum Christianum Romae, apud viam Latinam, detectum est; in quo, praeter nonnulla titulorum frustula nullius pretii, arcosolium ex omni parte depictum

¹ Cfr. fasc. sup.

repertum fuit. Ibi, inter imagines plures, quae nihil novi prodiderunt, repraesentatio eucharistica apparuit sane eximia; nam ad convivium eucharisticum non septem, sed duodecim accumbunt personae. Ad sinistram autem convivii Christus est panes multiplicans; ad dexteram vero mulieris figura orantis. Atqui, ex iis quae hoc usque recensuimus, significatio obvia fit, nempe symbolum consecrationis, communio et sacramenti effectus, seu beatitudine animae defuncti concessa. Pictura haec igitur maximam habet cum picturis cubiculi A³ Callistiani hypogei, de quibus alias loquuti sumus,⁴ congruentiam, iisdemque constat elementis, licet ordine paullo diverso dispositis. Illic enim symbolum consecrationis statim animae figura sequebatur, et deinde exstabat convivium, hic, contra, convivium medium tenet locum, nempe inter animam et symbolum consecrationis.

Quod si orantis figura iuxta bonum Pastorem animam defuncti a Christo beatitudine donatam adumbrat; si ante tribunal Christi, benigni exitum ominatur iudicii; si proxima Christo aquam in vinum convertenti, missae sacrificii effectum, nempe animae in paradisum admissionem aliquatenus declarat; si prorsus apud alia eucharistica symbola eodem sensu interpretanda appetat, curnam non etiam in cubiculi A³ pictura similiter esset intelligenda?...

Christi aquam in vinum vertentis imago quam diutissime inter eucharistica symbola in usu perduravit, atque saeculo nono, iussu pontificis Paschalis I, ita evidenter effecta in cuiusdam crucis theca est, ut nihil clarius desiderari possit. Intelligi volumus de cruce, quam gemmatam vocarunt, quaeque in thesauro sacelli Palatini, «Sancta Sanctorum» dicti, ad

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Octobris.

Lateranum reperta est. Huiusmodi theca, quae ad instar crucis conflata est, dum in media superiori facie Christum represe-
ntat eucharistiae sacramentum instituentem, in brachio sinistro praeviam sacramenti figuram exhibit, nempe Christum aquam in vinum, Maria obsecante, convertentem.¹

Denique symbola eucharistica vitis quoque eiusque fructus haberi possunt, licet non raro veluti simplex ornamentum fortasse vitis palmites depicti fuerint, iuxta vigentem apud ethnicos morem. Atqui plura sub vitis uvaeque figura intelligi queunt. Scilicet vitis vera Christus est,² itemque ipse Christus merces iustorum eorumque aeternum quo beantur gaudium. Itaque, sicut de quibusdam calicibus, quorum imaginem eucharistiam aequa ac refrigerium possunt, in sepulcris effecta, significare, ita et de vitis palmitibus fructibusque dicendum. Quamquam aliquid definire inter duos hos sensus minime audemus.

Vitis, praeterquam saepe in epitaphiis, etiam in picturis appareat. Ut duo tantum referamus exempla, Romae, in antiquissimo Flaviorum vestibulo, apud Domitillae coemeterium, magnam lacunaris partem palmitibus suis vitis occupat; ac in tholo sepulcreti Maioris Oasis in Libya, ipsa ita depicta est, ut alterna vice folia ac monogrammata Christi exhibeat.

Sed iam claudamus rivos: sat prata biberunt.

S. S.

¹ Cfr. H. GRISAR, S. I., *Il «Sancta Sanctorum»* (1907) p. 129 sqq.

² IOANN., XV, 1, 5.

Est Deus in nobis; agitante calescimus illo;
Impetus hic sacrae semina mentis habet.

OVID., Fast., VI, 5.

HORAE SUBSECIVAE

AD PUERUM IESUM CULTORIS AGELLI PRECES.

*Hic ubi turba sacris effunditur undique cu-
[nis,*

*Natalem ut celebret, sancte Puelle, tuum,
En venio parvus male parvi cultor agelli,
Consuetas tacita fundere voce preces.*

*Non spernes humilem: te natum rustica pubes
Visisse in misero dicitur hospitio.*

*Quin tu etiam praesens ades o facilisque ro-
[ganti,*

*Atque bonus votis adnue, Dive, meis.
Non ego divitias, quamquam pauperrimus,
[opto,*

*Non ut centenis iugera bobus arem:
Non pecudes, late quae pinguis grama car-
[pant,*

*Nec bona vernarum sit mihi turba peto.
Ipse ego servabo tenues per grama capras,
Ipse ego convertam vomere curvus humam.*

*Hoc mihi contingat, securam ducere vitam
Castisque assidue moribus innocuam.
Tum si nulla subest timidis audacia verbis,
Pauperiem nostram, nam potes ipse, iuva.*

*Saepe mihi frustra tentata est alea, solvit
Grandia quae numeris foenora sortilegis.
Namque ego quae sese obtulerant mihi som-*

*[nia noctu,
Captavi vano credulus augurio:
Fraudavique bonus vacuam parvo aere cru-*

*[menam,
Quod cupidus centum redderet aureolos.
Consului nuper sortes: ast omina semper*


*Quae cepi, in votis laeva fuere meis.
Ipse quoque, heu! fatuis numeris me lusit*

*[hiantem
Custos sacrae barbiger aediculae.
Quid restat? numeros quos sors optata se-*

*[cundet,
Tu mihi, tu praesens suggere, sancte Puer.*

*Ipse tibi refici curabo protinus istas
Accepto gratus munere fasciolas.
Nummorum nolo lucrum quod compleat arcam,
Sed miserum curta quod tueatur ope.
Quod satis est, ne fiam alieni debitor aeris,
Frumentumque, domus quo sit alenda, pa-*
[rem.]
*Veste etiam trita nati laceraque decembrem
Iamdudum horridulum se male ferre dolent.
Sed frustra clamant, opera mihi namque*
[diurna]
*Vix auctus deno sacculus aere sonat.
Ergo adeo angustam mihi rem laxare beni-*
[gnus:]
*Da ternos, oro, sancte Puer, numeros.
Hos mihi si numeros renuis, da ferre mali-*
[gnam]
Aequo me saltem pectore pauperiem.

H. N.



COLLOQUIA LATINA¹

Lusus sphaerae per annulum ferreum.

HIERONYMUS. - Heus, heus, socii, placetne sphaeris ludere per annulum ferreum? Area plane sicca est et aequissima.

ADULFUS. - Nihil lubentius. Vos duo hinc palas afferte: nos defigemus in terram annulum.

ALFONSUS. - Defigis annulum iusto altius; attollam paululum ut facile sit volubilis.

GERVASIUS. - Vos singuli singulas arripite palas.

HIER. - Cedo, ut experiar.

GERV. - Ego et Alfonsus ab eadem stabimus parte.

ADULF. - Crediderim: at palae vestrae aptiores sunt nostris, et brachia validiora.

¹ Ex dialogis familiaribus ANTONII VAN TORRE passim retractavit hodiernisque moribus aptavit. I. F.

ALF. - Certa: viribus paene omnes sumus pares.

HIER. - Quoniam provocare nos placuit, accipio condicione. Ego tibi adhaerebo, Adulfe. Non est quod magnopere adversarios metuamus, et nobis sunt animi. Auspicemur.

ALF. - Quo pignore certabimus? Nam sine spe praemii languet lusus.

ADULF. - Semissem ego et Hieronymus deponimus: tantundem vos addite, si est audacia.

GERV. - Non recusamus. Tu, Matthaee, serva depositum: tuae fidei committimus.

HIER. - Mittam ego prius.

ALF. - Bonis avibus mittas licet.

HIER. - Euge! Recta misi per annum.

ALF. - Felix auspicio! Ego tantundem conabor, sed oblique mihi obversus est annulus.

ADULF. - Feliciter! Praeterit ad latus.

GERV. - Meum est ludere ante alios: annulo sum vicinior.

ALF. - Fac ut annulum placide globus transeat, ne Hieronymus deinde te feriat, ut metam transeas.

GERV. - Commode! Obstata porta, ne is globum ad metam propellat.

HIER. - Aliud molior. Successit: sphaera per annulum praepostere transit: unum vobis decedit de numero.

GERV. - Unum numeramus etiam.

HIER. - Etiam nos.

ADULF. - Hem, spectate. Alfonsus a tergo nostro globum suo loco movit.

HIER. - Perdidit igitur ius feriendi.

ALF. - Bona venia, inverti modo. Ludo enim semper legitime absque technis.

GERV. - Sperat per annulum traicere Adulfs: ego illi globo meo portam occlusero.

ADULF. - Venias quolibet: te facile excutiam.

GERV. - Hinc ergo, si vales, depelle me.

ADULF. - Habe. Num istinc te depuli?

GERV. - Casu vincitis, non arte.

ALF. - Iam pares sumus.

HIER. - Imo superamus vos duobus. Unum si retuleris praeterea, vicerimus, Adulfe.


ADULF. - Spes est proxima. En, aut globum Gervasii domum remittam, aut meum iaciam certo per annulum.

ALF. - Faxo ut neutrum obtineas. Eadem opera Gervasium sursum promovebo, et invertam annulum.

ADULF. - Vide quam rem agas: qui duos insectatur lepores, neutrum capit.

ALF. - Evidem tentabo.

ADULF. - Dixine futurum? Quaternario numero ludus absolvitur ex pacto: nunc illum conficiam. Transiit annulum. Argentum cedo, Matthaee; noster hic ludus est.



AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus, particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 318. - Sicuti purgantia in morbis capitis summopere proficiunt, ita diuretica in morbis pectoris. Morbi cutis, uti dolores artuum, foeda ac pruriginosae eiusdem maculae, in alvi morbos solvuntur. Alvi affectiones, uti diarrhaeae, colicae, etc., in cutis affectiones migrant, et per cutis vias, nempe per diaphoresis, sanantur frequentissime.

§ 319. - Iecore affecto, dolores ad iugulum e directo fiunt, tusses inanes, spirandique difficultates, imo hydropses, qui ex morboso iecore pendent, vehementissimam sed inanem tussim coniunctam habent, quae, in aliis hydropum speciebus, vix aut raro adparet.

¹ Cfr. sup. fasc. VIII-IX.

§ 320. - Si pulmonis tota lingua sit alba et aspera, ambae partes pulmonis sunt inflammatae: si medietas linguae sit aspera etc., ea pulmonis pars aegrotat. Ita si dolor ad iugulum est, si fuerit ad dextrum, dextra, si ad sinistrum, pulmonis sinistra pars aegrotat.

§ 321. - In nephrite calculosa, interdum adest hemicrania, ex parte capitinis, quae dolenti reni e directo respondet: stupor quoque crurum e directo, retractio testiculi e directo eamdem ob causam fiunt.

§ 322. - Dolores ischii, dolores lumborum, ex infarctu congestionaque pravorum ac crudorum humorum in mesenterio orti, ad genua et ultimos digitos protenduntur.

§ 323. - Dum febrilis horror aut frigus universam cutim convellit, tunc oleum destillatum caryophyllorum epigastricae regioni illitum, remissionem horroris procurat undeque.

§ 324. - Qui difficile sudant, apposito plantis pedum latere calefacto, mirifice sudor illis promovetur.

§ 325. - Rigores et horrores, qui futuras suppurationes praenuntiant in partibus, in pulmonibus vel a tuberculo, vel a vomica, vel alia suppuratis de causa, aut nunquam, aut raro observantur.

§ 326. - In contusionibus cranii et laevionibus meningum, si septimo, vel undevico die gravis supervenit ophtalmia, signum mortis imminentis.

§ 327. - In collectione puris in cavitate capitis aliquando succedunt vomitus, nausea, aliquando metastatis ad iecur facta.

§ 328. - Haemorrhagiae narium subito terrore sanantur.

§ 329. - Pueri, in eruptione dentium alvi fluxu corripiuntur, vel convulsionibus, genua eisdem intumescunt, nec detumescunt, nisi diarrhea superveniente copiosa fluit saliva. Stercor viget, adest febricula cum vigiliis, variisque aliis accidentibus, quae sola parit aridorum irritatio.

§ 330. - Saepe observamus, quod si calculus, post 10, vel 15 dies, non descenderit ad vesicam, imprudenti diureticorum usu et nimia remediorum praescriptione, ut vulgo faciunt medici, magis magisque figitur calculus. Quo in casu, crede, mīlector, unicum remedium est abstinere a medicamentis, nam sola quiete calculus tandem prosiliet. - In iliaca affectione, quae oritur a forti crispatura fibrarum intestinalium, pauca iuvare solent remedia, ex classe anodynorum et stomathicorum; nocent contra clysteres acres, remediorumque ingens copia. Revera igitur dolores omnes nephritici, hysterici, etc. qui purgationibus succedunt a spasmodica fibrarum oscillatione pendent, totiusque curationis scopus dirigi statim debet in ea primum tollenda per fatus, balnea, et anodyna, laxantia remedia.

§ 331. - Saepe tamen intentio haec, in gensque fibrarum veluti induratio pendere solet a nimio impetu, orgasmo et acrimonia humorum, quo casu, laxata sanguinis compage, per phlebotomiam, laxatur quoque intentio duritiesque solidorum.

§ 332. - Ventositatem flatuosam venae sectione sistito (HIPPOCR.).

§ 333. - Quicunque de repente voce destituantur, si sine febre fuerint, venam secato (HIPPOCR.).

§ 334. - In hydope quoque flatuoso sanguinem mittito. (HIPPOCR.). Huiusmodi etiam sunt urinae suppressiones, quae sanguinis missione solvuntur.

§ 335. - Sunt qui ob nimium fibrarum sensum et mollitatem facile syncopyzant et resolvuntur; facile quoque ob nimium sensum, sive fibrarum ariditatem capitis dolore laborant. In quo casu quoniam dolor solidi vitio potius quam fluidi oritur, ad narcotica libenter veniendum; nam tuto adplicari possunt, quoniam non aliud debent efficere, quam obtundere nimium fibrarum sensum. Pariter qui magis sensibiles fibras obtinuere, catarrhis, fluxioni-

busque vitio solidi sunt magis obnoxii, ut, inter ceteros, pueri. Et quibus hecita intestinorum intemperies, flatum procreatrix naturaliter est, ob dictam fibrarum sensationem doloribus lumborum, et aliis, facile corripiuntur, et facile in hydropem siccum, tympanitidem, cum atrocissimis doloribus et horrida viscerum tensione terminantur. Quarum affectionum occasio et causa, licet ab extra venire possit, augetur tamen summopere morbus ob nimiam eamque naturalem fibrarum sensationem, vividumque claterem. Quare non erit neglegenda in posterum a medicis, prout hactenus factum est, cognitio atque doctrina solidorum cuiusque corporis aegrotantis, etc.

§ 336. - Nimia ergo fibrarum muscularium irritabilitas morbos producit hypochondriacos et hystericos. Occasio vero et causa excitans varia admodum esse potest (STOLL.).

§ 337. - A tono languido et relaxato fibrarum in habitu corporis, succi nutritii assimilatio debitusque cursus perturbantur, nasciturque phthisis in habitu corporis, ob tonum eversum solidorum, in qua quidem curanda, neque lactea, neque humectantia praescribenda, sed chalybeata, antiscorbutica, cephalica et amara, etc. Lienteria interdum fit ob nimiam pylori laxitatem, et aliarum partium ventriculi irritationem nimiam.

§ 338. - Epiphora sive laxitas glandularum oculi serosam favit lacrimationem, irritisque aliis, stringentia iuvant vulneraria, quae tonum restituant.

§ 339. - A fibrarum nimia laxitate in tubulis renum, sive atonia renum, lethales urinae suppressiones saepe oriuntur. Verum quoque diabetes aliquando succedit ob laxitatem viarum ab intestinis ad renes, curaturque per adstringentia et aromatica.

§ 340. - Ischuria, sive urinae suppressione contingit ob torporem fibrarum vesicae.

Curatur per acria suppositoria, clysmata stimulantia, et similia; quae fibras vicinas, iure consensionis, ad motum excitant.

§ 341. - Plura limphae vitia a sola glandularum laxitate fiunt atque dependent, et medici sibi fingunt mille obstructiones, et mille falsas obstructionum chimeras. Idem in mesenterio quotidie obseruo (BAGLIVIUS). Quando illi pall rem levis momenti in vultu vident, qui languidi stomachi viarumque intestinalium laxatarum comes est induvulsus, putant ab obstructione fieri: mille statim dant inutilia remedia ex chalybe, ex amaris omnis generis..., quum morbus sola masticatione cinnamomi, vel seminum citri, vel potu caffae, roboratis per haec fibris laxatis, non vero, ut ipsi putant, obstructis, prompte tolli potuerit.

(Ad proximum numerum).

I. FAM.

pectoralique succinctum, habenis et loris sustentatum, rectoris fraenis semper parentem, per angustissimum callem recta semper ordinatimque pergere, ad virgulae umbram ac sibilum illico mobilem celerare iter; iam gradu tolutum explicato belle, graviterque incedere; modo fossas pernici saltu traiicere; nunc posterioribus arrectum pedibus insistere; iam incitatus glomerare passum; mox vastam cursura effusissima transvolare planitiem; repente fraeno monitum cursum abrumpere; subito haerere vestigio; rursum lacesitum calcaribus toto impetu ruere; hostem in pugna calcibus petere, ferire, proculcare; lacerare morsu; hinnitu terricare, nisu, pressuque examinare ».

Sed ad alterum veniamus, idque a Melchiorre de la Cerda propositum in suo *Eloquentiae campo*. Scribit igitur: « Vide equitem equo fere indomito insidentem, recto corpore et excelsa et cruribus compositis ad equestrem speciem et elegantiam, cum habenis in manu ad exercendum delatigandumque equum, quem multo cursu sursum deorsumque facto, equum defatigare vides et officium facere tanta peritia, equitandique scientia, ut laudent omnes, omnes mirentur. Quem exsultantem et moderatius excurrentem continere, quemadmodum solet et coercere, ut habenas, quum opus est, adducit, ut remittit? ut versat in omnem partem? ut incitat ad cursum? ut revocat? et parere lupato cogit? Plane videtur ab incunabulis ad rerum equestrium scientiam institutus. Sed inter alia, illa scientia fraenis sustinendi equi in praecipiti etiam et lubrico loco, quanto clarior est, quum refractarium lupatis adeo refregit? Quam admiranda illa in equo tractando, et in exercendo virtus, qui indomitum et effrenatum equum in exiguum saepe gyrum compulit? »

Verum quid dicendum de spectaculis illis equestribus, in quibus tanta equitum

SILVAE

Equum impigrum et generosum in angulo aut in crepidine perangusta moderari et flectere, nonne negotium est viro dignum? Hodie igitur nonnulla huius provinciae exempla latine descripta vobis, lectores humanissimi, offeram.

Primum ab Alberto de Albertis de prompsi, in suis animadversionibus de Tullii orationibus. « Ut enim — sic ille — nihil facilius, nihilque pronius, quam effraenem veredum aut sternacem equum, in amplissimo lascivientem prato, quoquo-versum cursu citatissimo, sine ulla lege praecipitem ferri, sursum deorsumque per amoenos colles spatiari, nonnihil procedere, extemplo repedare, in orbem circumagi, ante, retro, in latus procurrere, recedere, deflectere; ita nihil arduum magis, aut durius, quam lupatis coercitum asturconem, ephippiis instratum, postilena

est membrorum et dexteritas et robur, ut equi incitatissimi ephippiis nulla omnino cursus intermissione tum recti ii insistunt, corpusque circumagunt; tum repente insidunt; interdum etiam dispositos humi lapillos ad unum inde colligunt, tum etiam momento desiliunt resilientque?...

Ne ex argumento discedamus, requiramus poëtas. Non vero pugnam illam Iudicram equestrem revocabo, quam Vergilius in V^o Aeneidos libro descripsit, neque hominem repetam equum domatorem ab ipso auctore in III Georgicorum versibus exsculptum, neque Tibullum, Lucanum, Claudianum in medium adducam, qui pariter rem attigerunt; ad recentiores me referam, et singillatim ad Alexandrum Donatum, e Societate Iesu, qui poëma de Constantino exaravit. En modo equestrem pompam et equestria spectacula in eo exhibit:


Anteibat sublimis equis delecta iuventus
Ornataeque vias implent longo ordine turmae.
Pars lucent sagulis, chlamydesve, aut picta
[decoris
Stamina cingebant humeris; pars arma co-
ruscant,
Attolluntque leves elato vertice cristas.
Ipse inter belli proceres vexillaque Princeps
Fertur, et intexto trabeam discriminat auro,
Et multum de patre gerens; tum densa co-
[hortes
Effundit leges. Non aere latentia membra
Horrificas vomuere minas; sed fusa per aurum
Blanda lassito cedebant lumina soli,
Et flammae galeis. Clypeis se fulgura mi-
scunt:

Haud impar infertur eques, cui prima dorso
Purpure, fulgentesque habitus, cui lucidus
[ambit
Membra chalybs: sonipes squamis atque aere
coruscis
Mobilis effigiem gaudet simulare metalli;
Miranturque omnes: turbis civilibus implent

Sublimes quicumque domos; quicumque pa-
[tentis
Obsedere vias, atque altis pendula pinnis
Culmina, et obtutu florentia Principis uno
Ora legunt, similemque putant adstare pa-
[rentem...
Sed cireo iam pompa subit, iamque agmine
[laeto
Apparent, campumque ineunt Romana iu-
[ventus.
Hi solidos auro frenos moderantur equorum,
Et teneros ornant armis fulgentibus artus.
Omnibus auriferas attollit cassida cristas,
Plumaque mordenti colludens molliter auro
Nutat, et ancipites confundit mixta colores.
Insidet ira latus, cui baltheus alligatensem,
Gemmiferumque capulis ensem; praefixa
[reluent
Spicula inaurato manibus cortynia ferro,
Ostrinaeque simul chlamydes, auroque ri-
[gentes.
Irradiant gemmis tunicae; per colla resident,
Pectoraque ensis contextis monilia baccis.
Bis denas adeo tendunt in cornua turmas,
Aere cavo, et cursu alipedum, fremitique
[sonantes...
Signa cavis sonuere tubis, et cornua cantu
Inducunt equitesque, pharetratosque mani-
[plos.
Antevolat crista Mavors, et mitibus armis.
Iam sublimes equo bellator, et igneus auro
Et Tyrio ardenter saturatus murice pallam
Fortis adest: idem ardor equo, spumansque
[fremensque
Exsilit, et celeres cursu rapit impetus armos.
Adversis micuere hastis, coecoque tumultu
Delituerunt; cavas implerunt fragmina nubes.
Tum iaculis, tum fulmineo ferit obvius ense
Quisque hostem speculatus, et ictu insignis
[in orbem
Agreditur, parmaque levem, teloque minan-
[tem...
Post equorum, curruum certamen:
Illi autem non stare gradu, non parcere frenis,
Et miscere avidas spumis ferventibus iras,

Transtrave, seu callidis incendere flatibus
[auras,
Sive flagellatos pedibus divellere postes,
Et frustra in palmam cursus agitare morantes.
Ast ubi mappa dedit revolutum candida si-
[gnum,
Personuit simul tubicen, simul ardua totos
Reclusere aditus deiectis ostia claustris,
Prosilunt rapto foribus simul axe iugales.
Viderunt faustoque notant clamore Quirites,
Et vidisse negant: oculos fugit impetus ardens,
Seque, rotasque fuga velox auriga recondit.
Ille tamen stimulat, geminateque sibilat amens
Verbera, vota praeit sonipes, cursuque pre-
[mentis
Se magis urget equi, et currum volat ante
[volantem;
Stridet et intacto cita praeterit orbita campo.
Septima restabant fessis sudata quadrigis
Certatim spatia, et reflui labor ultimus orbis;
Ablatusque simul rector, Tyrioque refulgens
Murice, cornipedes urgent, Prasinusque mi-
[nantur.
Ille autem dubias iam circumflectere metas
Cooperat: ecce subit rapidis auriga quadrigis
Rufus, et augustae compendia querit arenae
Incassum, teretique teres rora concita metae
Haesit, et allisu cursum labefacta remittit.
Albus adest: non ille potis cohibere iugales,
Tramitis aut lati spatium, frenisque retortis
Dexteriora sequi: levis axeprehenditur axis
Impliciti et radiis crepue re rotarum.
Mordet equus fulvas, rectorque excussus
[arena.
It Prasinus celerique irrumpit in ostia curru:
Murmura Aventinas pulsant popularia cautes.
Et hodie fiat satis.

ANON.



Malus ipse fiet, qui convivet cum malis.
Musco lapis volutus haud obducitur.
Non cito ruina perit, is qui rimam timet.
Non omni eundem calceum induces pedi.

Publ. Syr.

ANNALES

Genevensis conventus.

Genevae ille coetus legatorum congregatus est, cui munus, ut alias diximus, consilia comparandi, quae ad foedus conductura tandem sint de armis apud omnes populos minuendis. Varia, nec unanimis semper disceptatio, ad suffragia colligenda de uno altero proposito plures adduxit; a quibus apparuit conspiratio quaeviis animorum inter Galliam et Angliam contra Germaniam, diffidentem semper semperque restitantem. Licet cum difficultate processerit opus, iam ad finem perductum diei potest, ita ut imminens credatur dies, in quo condicionum textus plenario Coetui probandus decernatur.

Ex Anglia.

Coetus alter ad pacem fovendam Londini etiam nunc habetur inter populi legatos, principes, ducesque Indorum, ut novus rerum ordo apud illas gentes cum Anglia coniunctum constituatur.

In publico autem Anglorum legatorum coetu legibus ferendis, lata lex est, qua puerorum institutio ad quintum annum supra decimum producetur. Inde fiet, ut puerorum quadringenta et quinquaginta millia ab illiberalibus laboribus arceantur, locumque cedant totidem opificibus hodie ad otium coactis.

Polonorum comitia.

Indictis apud Polonus comitiis, favorabilia Pilsudskio duci omnino cessere; qui tamen summam imperii, ob infirmam ex tot tantisque laboribus valetudinem, tradidit collegae Slawek, militum tribuno, munere bellicae rei moderandae sibi unice relicto. Leges nunc serentur de nova rei publicae disciplina, per quam subtilius

atque diligentius finiantur munera tum
rei publicae Praesidis, tum Gubernii, tum
denique publici coetus legibus ferendis.

**

Hispanici motus.

Obscura adhuc rerum Hispanicarum conditio in contrariorum nunciorum congerie. Certe, operariorum a laboribus desertiones altera alteram sequuntur; indeque inter cives militesque alteram altera sequuntur non incruentae contentiones.

POPLICOLA.

VARIA**Mors Ioannis Medicei, eiusque ingenium.¹**

Ioannes Mediceus in morbum incidit, eumque mortiferum sentiens, Cosimum Laurentiumque filios ad se vocatos, in hunc modum alloquitus est: « Puto me id temporis exigisse, quod mihi nascenti a Deo naturaque constitutum est. Animo laeto digredior, quod vos sanos, divites, eosque relinquam, ut, si modo meis vestigiis insistere velitis, honoratis vobis, et omnibus acceptis Florentiae videre liceat. Nihil enim tam tranquillo animo ut decedam facit, quam quod meminerim neminem unquam offendisse, sed potius, quantum in me fuit, in omnes beneficia contulisse. Quod vos etiam hortor ut faciatis. Ad rem publicam vero quod attinet, si tuti vivere velitis, tantum ex illius administratione vobis sumite, quantum leges hominesque vobis tribuerint; quae quidem res nec vobis invidiam, nec periculum conflabit: ea enim, quae mortales sibi rapiunt, non quae

**

Pastor et Canis.

Pastor quidam cani oves suas dederat custodiendas, optimis illum pascens cibis; ille vero saepe ovem aliquam occidebat. Quod quum pastor animadvertisset, canem volebat morte mulctare. Cui canis: — « Quid me — inquit — perdere cupis? Sum unus ex domesticis tuis... Interfice potius lupum, qui continuo tuo insidiatur ovili ». — « Imo — inquit pastor — te quam lupum morte dignum magis puto: ille enim palam

¹ Ex NIC. MACHIAVELLI historiis.

se meum hostem profitetur; tu vero sub amicitiae specie quotidie meum immiunis gregem.

Haec innuit fabula, longe magis esse puniendos, qui sub amicitiae specie nos laedunt, quam qui apertos se inimicos profitentur.

**

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

*Brassica vaporata iuri immersa.**Piri ex iecore fricti.**Spinacia pīneis nūcībus zībeboque condita.**Gallus indicus super craticula assus.**Acetaria capuccina.**Crustula Sabaudica liquore madida cremoque adoperta.*

**

Locosa.

Pater TUCCIO:

— Indignum! Placentam comedisti integrum, neque ulla tibi fuit soror ~~alae~~ tuae cogitatio!

— Imo tanta fuit, ut celeritati consumendi studuerim, timens ne illa adveniret.

TUCCIIUS in schola.

MAGISTER, geographicam lectionem concludens:

— Et tu, o Tucci, persuasum ne tibi habuisti terram esse rotundam?

TUCCIIUS: — Plane omnino.

MAGISTER: — Qua autem ratione?

TUCCIIUS: — Mappam mundi intuendo.

**

Aenigmata

I.

Partibus ex iunctis, ambas quas musica prae-

[bet,

Piscis, flumineas, o lector, qui incolit undas
Et nullo spinea qui laedit acumine, constat.

II.

Quae fluida est uvae pars est dulcissima sem-
[per:
Utramque in partem nomen idem remanet.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-
posita his respondent: 1) *Nemus-Sumen*;
2) *Tuba-Turba*.

LIBRORUM RECENSIO

PALAESTRA LATINA, Menstruum de Latinitate Commentarius, Cervariae in Hispania editus, opera et consilio Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. Virginis, Moderatore Emmanuele Jové, Litterarum Latinarum Professore.

Ineunte anno MCMXXIX novum latinum commentarium salutabamus, qui, sub *Candidati latini* nomine, faustis omnibus in Hispania ab Emmanuele Jové nostro conditus fuerat, in usum tironum Congregationis suae; Missionariorum nempe Filiorum Immaculati Cordis B. M. Virginis. Suus igitur et quasi domesticis parietibus contentus commentarius vivebat; itaque non mirum si latina lingua interdum, imo saepe, accederet cum Hispanica commixta; si Hispanicis versionibus, interpretationibus, Hispanice propositis argumentis occurreret; si, in summa, latino-hispanicus *Candidatus* sese exhiberet.

Recens vero qui eius auctor laudabilissimus fuit, ampliores fines sibi constituere voluit, *Candidatum* illum convertens in *Palaestram latinam* « menstruum de Latinitate Commentarium », qui « litterarum latinarum ludos spectandos offerret sociis, qui bonarum artium studiis oblectantur », qui « Magistros Latinitatis in suis pagellis ostenderet, qui facili calamo linguae latinae detegerent arcana »; qui « foribus apertis omnes acciperet adulescentes sive ex lyceis, sive ex gym-

nasiis, sive ex seminariis, qui ad humanitatem sese conformare studuerint atque confirmare».

Dubium non est quin ambabus manibus incoepui nos plaudamus, qui ad ea ipsa proposita tot iam annos intendimus, sudavimus et alsimus; quique laboris socium et — cur non? — signiferum, quum tempus fuerit vexillum tradendi, novum commentarium invenierimus.

Atvero ne displiceat amico carissimo, et verba a nobis in re audire, ex communis causa studio unice excitata; scilicet *Candidatum in Palaestram translatum, habitum suum, mores nihil, aut fere nihil immutasse, seseque non civem universi orbis, sed latino-hispanicum etiam nunc exhibere, ita ut impervius sermo eius evadat exteris gentibus, quae hispanicam linguam non calleant. Quod gravius est in iis praesertim, quae ad novas res pertinent, pro quibus nova euduntur in Palaestra vocabula, quae non aliter atque per hispanicam versionem intelleguntur. De quibus id etiam addere liceat, saepius quam ut per sit ea creari vel aptari.*

Evidem quae a Graeco fonte manant, praesertim si apud hodiernos sermones inventa, latine identidem iuxta vetus tritumque praeceptum exprimantur; cetera vero ne facilius per novi cupiditatem efformemus, nisi velimus novam alteram linguam, novum alterum *volapuk*, aut quid simile effingere — quantum autem auctoritate? — quod unus tantum val alter, cui per suum sermonem explanetur, capiat. Sit exempli gratia microscopii figurae explicatio, quae exhibetur in *Palaestrae* num. 2, pag. 27: *Ocular = «ocularium»*. Cur non *speculatorium vitrum* aut solummodo *speculatorium?* — *Tornillo = «tornellus»*; an non habes apud Vitruvium *cochlea?* — *Objectivo = «obiectivum»*. Nonne sufficiat *lenticula?* — *Platina = «catinus»*. Utique «catinus» Varronis est; quum vero nos «catinus» vas non planum, sed profundum, praesertim ad manus detergendas, vulgo *ppellemus*, nonne maxime obvia *patina*, aut

etiam *orbiculus* in casu fuissent? — Ignoro prorsus quid hispanice *pignón* significet; apud Italos nos *pignone* habemus, per quod molem intendimus. Atqui est utique in mechanica arte *pinna muri*, molis fastigium apud Latinos; sed praeter quod de nullo fastigio agi ex figura percipitur, sine substantivi distinctione *pinnulam* illam tuam, o sodes, ad avis alas cum Columella quisque mente referet, vel cum Plinio ad parvas pisces pinnas: non certe ad *rotam* illam *dentatam*, quae, in figura, indicata appetet. *Rechamus ex adverso*, de quo dubitas, in tua *cremallerā* satis expedite percipietur.

Ut concludamus, descendere o Jové, fidenter in campum, relicisque vulgaribus eloquii, Palaestram latinitatis per commentarium tuum constituas, ubi de renovando Aliae Parentis sermonis usu per ipsum sermonem et cum ipso unice omnes concerter.

Quod felix, bonum faustumque siet!

I. F.

Libri dono accepti

LUIGI TABERINI. *Herculanum resurgens.* Carmen in certamine Locrensi anni MCMXXVII laude ornatum, cum italica versione. — Anconae, ex off. Dorica P. Rabini, 1930.
ID. DUX. *Carmen alcaicum cum italica versione.* — Anconae, ex off. polygraphica Litoriae Societ., 1930.
Strongyle. *Carmen JOSEPHI MORABITO* in certamine poëtico Locrensi anni MCMXXIX laude ornatum. — *Polystenae, typis «Orfanielli», MCMXXX.*

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor,

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

INDEX RERUM VOL. XVI

(AN. XVII — FASC. I-XII)

	PAG.
Alloquia sociis et lectoribus. 1, 62, 88, 111, 177, 181.	187
Annales. 15, 32, 46, 66, 84, 106, 123, 141, 159, 177, 193.	192
Archæologica.	
De Eucharistiae cultu apud veteres Christianos (S. S.)	99, 111, 132, 155, 171, 186.
Ars.	
De liberalium artium officio (A. C.)	20
De pulchro universo (G. Lepore)	37
Aedes S. Ianuarii dicatae Neapoli (P. Masselus)	53
Templum S. Marci Veneti (N. Causinus)	88
De polychromia in statuis (G. P.)	150
Carmina.	
Faustis nuptiis Humberti e domo Sabauda et Mariae Belgarum regis filiae (N. Capo)	5
Principibus Augustis Humberto Italicae, et Belgicae gentis Mariae Iosephae inclytæ proli (F. Fratini)	16
Pio XI P. M. octavum a suscepto sacro Principatu annum auspicanti, post decim um a Sacerdotio lustrum feliciter conditum (I. Cacace)	19
Campania ridens, te videam (V. Polydori)	42
Laurus (V. Polydori)	43
Collegis, amicis, sodalibus in an. MCMXXX vota (A. Bartoli)	53
Constantius (I. Cacace)	60
Eugenio Pacelli inter S. R. E. Patres Pur puratos Cooptato, a Secretis Pontificis electo, in diem nominalem an. MCMXXX (I. Antonelli Costaggini)	73
Luscinia-Hirundo (V. Polydori)	78
Apotheosis Vergiliana (F. Sofia Alessio)	91
Minimae voces (Hortus-Greges). (V. Poly dori)	114
Minimae voces (Rosae-Nox) (V. Polydori)	135
In honorem Paulae Frassinetti, Beatorum ordinibus nuper adscriptae (N. Capo)	116
Ludus anseris (vulgo <i>Il giuoco dell'oca</i>)	118
XX exeunte saeculo a Vergilii Maronis in teritu: Parthenias, Carmen Vergilianum (I. Cacace)	145
Sancti Iosephi hortulus (I. Fons)	171
Geographicae res.	
Belgium (Ex Famiano Strada)	16
Urbs Neapolis, et que circum (P. Recupitus)	33
Venetiarum urbs (Ex Iovio)	71

PAG.	PAG.
S. Thomae coenobium in regione Ausetana (<i>I. Fonts</i>)	103
Papia, sive Ticinum (Ex <i>Fr. Petrarca</i>)	106
Urbs ad nutum Abyssini regis mobilis (Ex <i>N. Godigno</i>)	123
Sinarum mores (Ex <i>Maffeo</i>)	142, 160
Historica.	
De Joanne Bonetti (<i>I. B. Francesia</i>)	25
Emmanuel Bonilla (<i>I. G. Navarro</i>)	75, 153
Blasius Signori (Theophilus a Curte) (<i>V. Sacconi</i>)	101
Hector Berlioz (**)	113
De initiis et de progressu rei Catholicae inter gentes Iaponiae (<i>A. Avenarius</i>)	114, 137, 157, 174
Sancti Aurelii Augustini centenaria commem- oratio	127
Antonius Meuccius (<i>A. C.</i>)	185
Ioannis Medicei ingenium	194
Libera a pittaciis responsa (A Secretis)	
72, 125, 160, 180	
Libri dono accepti	
35, 54, 196	
Librorum recensio	
34, 72, 195	
Litterae et Philologia.	
De pura latina dictione comparanda (<i>I. L. M.</i>)	3
Latinae adnotatiunculae (<i>O. Gifani</i>)	4, 40
De recto vocis «rhetorica» usu (<i>I. Fonts</i>) .	56
De latini sermonis elegantia (<i>J. Iss.</i>)	74
De nominibus substantivis eleganter omit- tendis	98
De nominibus substantivis eleganter con- vertendis	109
De nominibus substantivis eleganter ad- dendis	130
De substantivis quae eleganter in aliam orationis partem migrant	148
De substantivis quae eleganter in inte- gram sententiam migrant	167
De nominibus substantivis eleganter usur- pandis	181
De certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXXIX	77
Certamen poëticum Locrense anni MCMXXX .	115
Certamen poëticum latinum Locris in Brut- tiis a Carmelo Triumviri constitutum .	174
Medicae notae.	
Ad sanitatem tuendam : Aphorismi sive pre- cepta medendi generalia ex pluribus ca- sibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta (<i>I. Fam.</i>) 12, 30, 82, 105, 120, 141, 189	
Nécrologia.	
«Seroterapia» apud Maiores (<i>G. P.</i>)	79
De auxilio naufragis ferendo (<i>R. S.</i>)	116
Roma sacra.	
SS. D. N. Pii PP. XI litterae encycliae de Christiana iuventutis educatione 47, 67, 84	
Ex Suprema Congregatione S. Officii	178
Scenicae fabulae.	
Ad sepulcrum. - Actio dramatica <i>I. B. Fran- cesia</i> versibus senariis conscripta	18, 36, 90, 108, 126, 144, 162
Sententiae.	
Ex <i>S. Gregorio</i>	11
Ex <i>Ovidio</i>	24, 159, 187
Ex <i>Isidoro</i>	64
Ex <i>Hieronymo</i>	106
Ex <i>Publio Syrio</i>	113, 193
Ex <i>S. Augustino</i>	129
Ex <i>Martiali</i>	152
Silvae.	
Robertus Card. Bellarmino - Ludus lapil- lorum projectorum in aquas - Spectacu- lum equo incitato currentium - Cursus Iudeorum pedestris Romae - Anseris ludus	117
Equestria spectacula	191
Vacui temporis hora.	
Pro iudicibus mensarum elegantibus, esca- rum ordines (<i>I. F.</i>) :	17, 34, 54, 71, 89, 107, 124, 143, 161, 180, 195
Iocosa (<i>I. F.</i>)	17, 34, 54, 72, 89, 107, 124, 143, 161, 180, 195
Aenigmata	17, 34, 54, 72, 89, 107, 125, 143, 161, 180, 195
Varia.	
Pulcherrima lucis et aquae spectacula apud Barcinonenses (<i>I. Fonts</i>)	6
Kalendae Aprilis (<i>P. A.</i>)	58
Conventus alter ad «Romana studia» pro- vehenda (<i>A. R.</i>)	80
Fanaticus Indorum animus (<i>H.</i>)	136
Memorabilis in stadio Barcinonensi vocum et tibicinum concentus (<i>I. Fonts</i>)	140
Pontificii Gregoriani athenaei novae aedes inauguratae	163
Manium religio (<i>P. d. V.</i>)	165

